



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Quid sentiant Latini Patres de hac re. c. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

quantum fas est, ipsum commendat, & prædicat: sed ipsis non esse ita laborandum, ut putent laudes eius exacte prædicare posse: ideo dixit, *Ne laboretis, non enim comprehenditis*: reddit vero rationem his verbis, *Quis videt eum, & enarrabit, & quis magnificabit eum sicut est ab initio*: quasi dicat, cum nemo eum viderit, sicuti est, nemo potest laudes eius nobis enarrare, quod si aliquis vidisset eum, posset enarrare, sicut Ioan. dixit, *Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse narravit*, hoc est, nemo vidit Deum, ut hæc mysteria prædicare possit, nisi unigenitus, qui est in sinu Patris: de quo loco multa dicta sunt disput. 37. c. 6. vbi diximus, locum illum non de Angelis, sed de hominibus intelligendum esse: ergo sicut dixit Ecclesiast. *Ne laboretis, non enim comprehenditis*: sic etiam postea videtur dicere, cum posse laude Deum comprehendere, qui ipsum videt, veluti contra, qui non vidit, non potest: propterea dixi si verbum *comprehendo*, eo loco accipiatur in sensu Scholastico, potius ex illo testimonio oppositum deduci.

Ioan. I.

8

Vera loci
expositio.

Ego vero puto ibi comprehendere pro cognitione, & laude ei, sicuti est, usurpari, sicut alibi etiam in Scriptura apud Paulum, ut Scholastici faciunt. Quare non dubito Ecclesiast. non loqui cum Angelis videntibus eum, cohibens eorum conatum, ne putent se laudare Deum, sicuti est. Nam reuera sicut vident ipsum verbo expresso mentis suæ, sicuti est, eodem etiam ipsum laudant, & enarrant Dei substantiam, & excellentiam, sicuti est: quare vero secundum sensum Scholasticæ disciplinæ non dicantur Angeli Deum comprehendere, sequenti disput. patebit.

Tertius la-
cus.
1. ad Tim. 6.

Explicatur.

9

Tertius locus est vbi de Deo dicitur: *Lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, neque videre potest*, hoc est, lucem incomprehensibilem. Verum ille locus sicut etiam cap. 1. vbi Deus etiam dicitur inuisibilis, intelligendus est, sicut ille Ioan. 1. de quo diximus in disp. 37. c. 6. videlicet, Deum à nullo intellectu humano, sed neque Angelico propria virtute videri posse. Quare si quid est in illis locis, quod incomprehensibilitatem significet, sicut est vox *inaccessibilem*, idem significat omnino quod vox *inuisibilem*; ex quo non sequitur, à Beatis, qui diuino lumine præditi Deum vident, ipsum non comprehendere: in eundem sensum Dionys. 1. epist. ad Caium, & 7. cap. de diuin. nomin. in principio dixit, Deum esse super omnem mentem, & intelligentiam: quia, ut ait in illa epistola, perfecta ignorantio eius, vera est cognitio, eo quod viatores per negationes ipsum sciamus, intelligentes potius, quid non sit, quam quid sit, ut supra disp. 22. cap. 5. explicauimus.

Dionys.

CAPVT III.

Quid sentiant Latini Patres de hac re.

Cæterum ostendamus, vtrum Ecclesiast. & Patres Latini, cum dicunt Deum esse incomprehensibilem, loquantur de illius incomprehensibilitate respectu beatorum, an respectu creaturæ ex propria virtute consideratæ. Et quidem, quæ notui diligentia, anno Domini 1585, dum publice Compluti in nostro Collegio Theologiam docerem, plura adduxi testimonia Sanctorum Patrum tam Latinorum, quam Græcorum, quibus videbatur probari, Deum à Beatis etiam non comprehendere, quæ sigillatim examinaui, & ostendi, hoc

illis non demonstrari, quibus postea recentiores aliqui vsi sunt, ut ostenderent, de fide esse Deum à beatis vltimo modo non comprehendendi, quæ in hoc cap. & seq. examinare decreui.

Atque in primis ex Concilijs solum proferri potest Lateran. sub Innocentio III. cuius decretum refertur in cap. *Firmiter*, de summa Trinitate, & fide Catholica, vbi dicit: *Firmiter credimus, quod vnus solus sit Deus, æternus, immensus, incomprehensibilis*. Verumtamen cum eodem cap. dicatur ineffabilis, & tamen lumine gloriæ beatī, sicut clare vident, sic etiam lingua mentis ipsum effari, & exprimere possunt, sicuti est, nec ipsis dicatur mente ineffabilis; sic etiam nec ipsis dicitur incomprehensibilis: dicitur itaque Deus viatoribus, vel rationalibus creaturis natura sua consideratis ineffabilis, incomprehensibilis, & inuisibilis, an vero ab ipsis beatis comprehendendi dicatur, minime curat concilium.

Primum tes-
timonium.
Concil. Late-
ran.
Innoc. III.
10

Sed vrgent aliqui hoc pacto. Ibidem definitur eodem modo, Deum esse immutabilem, atque incomprehensibilem; sed immutabilis est de potentia absoluta, ergo & incomprehensibilis. Respondet diuersam esse rationem. nam incommutabilis dicitur absolute, non solum quia à nullo contrario, sed quia nec à seipso mutari possit, & sicut incomprehensibilis non dicitur à seipso, sed à creatura, sic etiam non negatur, comprehendendi posse à creatura, si ipse se velit reuelare.

Obiectio.
Dilatatur.

Cæterum ex Patribus adducemus primum in medium Latinos, qui pro opposita sententia allegari possunt, & ipsos explicabimus: deinde Græcorum Patrum testimonia afferemus, ex quibus omnibus probabimus, Patres nunquam locutos de comprehensione, sicuti Scholastici loquuntur, quoties negant Deum à creatura posse comprehendere: sed nomine comprehensionis solum claram Dei visionem intellexisse.

11

Primum testimonium est Gregorij 10. moralium, cap. 7. alias 10. in hunc modum. *In retributionis autem culmine reperiri omnipotens per contemplationis speciem potest, sed tamen ad perfectum non potest, quia, est hunc in claritate sua quandoque conspiciamus; non tamen eius essentiam plene contuemur*: cum ait, *in retributionis culmine*, videtur significare æternam beatitudinem: si ergo ibi plene essentiam Dei non intuentur beati, aut dicere debemus Greg. cum Chrys. sensisse, Deum à beatis non videri clare: cuius oppositum constat ex disp. 37. cap. 2. aut non ita perfecte, ut comprehendendi dicatur: sicut Scholastici docent. Id quod verba sequentia confirmant, quibus rationem reddit eius, quod dixerat. Angelica enim, vel humana mens, cum ad in circumscriptionem lumen inhiat, eo ipso se quo est creatura, conuulsat, & super se quidem per prouectum tendit, sed tamen eius fulgorem comprehendere, nec dilatata sufficit.

Primum Græ-
gorij testimo-
nium.

Chrysost.

Verum ego existimo Gregorium loqui non de beatis videntibus Deum, sicuti est, sed tam de hominibus, quam de Angelis, viatoribus tamen, & sine luminis gloriæ, sola gratia contemplationis præditis: de his vero dicit in culmine retributionis, hoc est, in altiori gradu contemplationis, qui in hac vita est veluti præmium bonorum operum, quantumuis ipsa creatura, natura quidem sua angusta, dilaret se ipsam; diuinæ essentia fulgorem in se videri non posse. Cum verò dicit, Deum in claritate sua à nobis concipi, non loquitur de clara visione, sed de contemplatione huius vitæ, quæ Dei

Explicatur.

12

Dei essentiam, & claritatem conspiciamus, sed non plene, hoc est, non clare, & sicuti est, intuemur: sicut etiam paulo inferius dixit, fulgorem eius, hoc est, Dei à nobis non comprehendit.

Secundum testimonium est eiusdem Gregor. 18. Moral. cap. 28. in fine, alias 27. ubi palam de beatis ait: Nec tamen videbimus, sicut videt ipse seipsum: longe quippe dispariter videt creator se, quam videt creatura creatorem: nam quantum ad immensitatem Dei quidem, nobis modus figuræ contemplationis: quia eo ipso pondere circumscribimus, quo creatura sumus: quibus verbis videtur docere Gregorium, immensitatem Dei à nostro intellectu non comprehendi: quia ipsi præfixus est modus, eo ipso quod creatura est: quod non videtur alio modo intelligi posse, quam de comprehensione, ut Scholastici Theologi accipiunt.

Respondeo hoc loco, Gregor. loqui de videntibus Deum in patria: differentiam vero assignare inter Deum, & intellectum creaturæ, non quod Deus seipsum comprehendat, ut dicunt Scholastici, creatus vero intellectus ipsum Deum non comprehendat: sed quia Deus videns seipsum, in se quiescit, nec ad aliud transit, ut in eo quiescat: nos vero videndo Deum, in ipsum quodammodo per alas visionis tendimus, ut in ipso quiescamus: quare nec equalis est nostra quies, aut visio ei, quam Deus de se habet, & qua in se quiescit, & hic est modus, qui nobis præfigitur in Dei visione, eo ipso quod creatura sumus, quæ sane differentia ex verbis, quæ ibidem subiungit Gregorius perspicue deducitur.

Tertium testimonium est Bedæ in illud primæ Ioan. 3. Videbimus eum, sicuti est, quod sub his verbis aduersarij recitant: Promittitur vobis videre Deum; nam comprehendendi, concedi non potest. Sed hæc verba conficta sunt, & ex sensu, in quem ipsi Bedam interpretantur, compacta: verba vero illius hæc sunt: Scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum, sicuti est: non sicut eum homines viderunt, quando voluit, in specie, qua voluit, non in natura, qua in semetipso etiam cum videretur, latuit: sed sicut est: quod ab eo à Moyse petebatur, cum ei diceretur: Ostende mihi te ipsum ab eo, qui cum eo facie ad faciem loquebatur: non quia Dei plenitudinem quisquam non solum oculis corporis, sed vel ipsa mente, aliquando comprehendit: aliud est enim videre, aliud est totum videndo comprehendere. Deinde assignat differentiam visionis, & comprehensionis ex mente Aug. quam c. r. huius disp. præmisimus: quæ sane verba difficilia sunt, si illa posteriora, Non quia Dei plenitudinem, &c. referantur ad illa, Videbimus eum sicuti est: sic enim videntur illa limitare, & sensus erit: videbimus eum, sicuti est: non quia comprehendemus ipsum: aliud enim est videre, aliud comprehendere: sic autem de beatis intelligenda sunt.

Ego vero cenfeo illa esse de viatoribus accipienda, & referenda potius ad proximè præcedentia: quia igitur dixerat nos visuros id, quod Moyses petebat: scilicet essentiam eius, & naturam, cum ipsi in figura corporea apparebat: ne videretur dicere, id fuisse ipsi, aut alicui in hac vita mortali concessum, addidit: Non quia Dei plenitudinem, &c. quibus negat claram visionem diuinæ naturæ in se, quam appellat plenitudinem Dei, viatoribus, & concedit eam solum, qua eum in figura corporea intuebantur: & ideo assignat differentiam inter hanc visionem, & comprehensionem: sed non inter claram visionem naturæ Dei in se, & comprehensionem illius. Quamvis igitur putet

Beda Moysen à Domino postulasse claræ essentiae ipsius visionem, cum dicit, Ostende mihi te ipsum; quod tamen disp. 54. cap. 1. ostendimus esse falsum; nihilominus sentit eam visionem non fuisse ipsi concessam, ut contra Augustinum, ex ipsamet Scriptura eo loco euidenter ostendimus.

Hoc autem maxime confirmatur ex eo, quod idem Beda, ut referemus in ea disp. 54. aperite affirmat Deum in sua substantia non fuisse visum à Moyse, nec ab alio Propheta: sed tantum in figura, in qua apparere voluit. Quocirca non dubitet Beda concedere diuinam essentiam à Moyse fuisse comprehensam, si ei concessa fuisset visio clara, quam petebat: tantum abest ut ipse putet, aliam esse comprehensionem à clara visione.

Citatur etiam pro hac sententia August. epist. 112. cap. 8. & 9. quod ibi distinguit visionem alicuius rei, à comprehensione illius. Ceterum quamvis hoc verum sit in visione corporali alicuius rei, ut cap. 1. explicauimus, in visione tamen clara diuinæ essentiae nunquam Augustinus hanc differentiam assignat.

Quartum testimonium, est Aug. lib. de cognitione vere vite, cap. 3. in principio, & serm. 38. de verbis Domini in illud Ioan. 1. In principio erat verbum, ubi postquam dixerat, corpora quidem à nobis videri posse, comprehendendi autem non posse, quia secundam omnem sui partem videri nequeunt: subiungit, Ecce de corporibus dicimus subiacentibus oculis nostris, non illa possumus comprehendere aspectu: quis ergo oculis cordis comprehendit Deum: sufficit ut attingat, si purus est oculus: si autem attingit, tactu quodam attingit incorporeo, & spirituali; non tamen comprehendit: & hoc si purus est, & homo sit beatus contingendo corde illud, quod semper beatum manet, & est illud beatitudo perpetua, &c. Sed Augustinus palam loquitur de viatore, à quo dicit non posse Deum comprehendere: licet possit aliquo modo attingere: quod vero dicit, Et hoc si purus esse, & homo sit beatus; non intelligit de beatitudine perfecta, sed huius vitæ; perpetuam autem beatitudinem appellat ibi, Deum ipsum, qui est obiectum nostræ beatitudinis, qualiscunque illa sit, sicut ipsum appellat lumen sempiternum, quo illuminatur homo, non tantum in alia, sed etiam in hac vita, vocat etiam vitam sempiternam, unde sit inquit ille homo viuus; intelligit autem quacunque vita.

Porro autem de viatoribus Augustinum loqui, cum dicit, ab ipsis Deum non comprehendendi, constat primum, quia de oculo mentis eorum dicit, Sufficit ut attingat; at de beatis non recte diceretur Deum ab eis solum attingi, cum intus in ipso videant quicquid est, attingere enim est rem aliam quam leuiter tangere.

Deinde pater ex verbis eiusdem paulo superius, nam postquam dixit, incomprehensibile esse id, quod lectum fuerat in Euangelio de verbo Dei, subdit, Et tamen lectum est, non ut comprehenderetur ab homine, sed ut doleret homo, quia non comprehendit, & inueniret, unde impeditur à comprehensione, & remoueret ea, & inhiaret perceptioni incommutabilis verbi, ipse ex deteriori in melius commutatus. Ergo non censet simpliciter impossibilem Dei comprehensionem, etiam prout ipse paulo inferius dicit, cuius definitio à nobis adducta est in cap. 1. huius disput. sed solum viatoribus censet impossibilem, quatenus viatores sunt, nam si, & videntibus Deum, sicuti est, impossibilem esse putaret, non exhortaretur ad remouendum ea, quæ ipsam impediunt, cum igitur dicit,

Beda.

Quartum
Augustini
testimonium.

16

Explicatur.

Videtur
tantum
negat
Augustini
possibilem
esse
Dei
comprehensionem.

17

dicit,

18 dicit, nos tantum attingere posse Deum, non comprehendere, intelligit in via, cum etiam dicit, attingere Deum aliquantulum, esse magnam beatitudinem, comprehendere vero impossibile, de viatoribus necessario intelligendus est; alioquin discursus totus secum non constaret; vt ex dictis patet. Quocirca ex hoc loco Augustini non solum non probatur, Deum non posse comprehendere à beatis ipsam videntibus, quin potius ex eo oppositum colligi videtur, vt satis patet, etiam sumpta definitione comprehensionis in rigore, vt ipse Augustinus ibi, & alijs in locis definit.

Alia Augustini testimonia expendantur.

Inlagent.

Sunt alia Augustini testimonia, quæ aduersarij maiori cum specie probabilitatis pro sua sententia possent allegare; sed ex illis etiam nihil probari potest. Primum quarto de Genes. ad lit. cap. 6. in fine de videntibus Deum inquit; *Quamquam & si corda mundissima, & mentes simplicissimas gereremus, sanctissime Angelis iam essemus aequales, non utique nobis ita esset nota diuina substantia, sicut ipsa sibi.* Sed mentem Augustini optime videtur interpretatus Fulgentius, & ipse doctrina Augustini. in lib. Responsum ad Ferrandum diaconum, ad quæst. 3. vbi postquam dixit, Christum habuisse plenam diuinitatis notitiam, ipsam tamen non nouisse, sicut ipsa se nouit, reddit rationem; *Quia ipsa diuinitas se se nouit, vt inueniat se esse quod nouit anima, vero, ita nouit Deitatem, vt Deitas non sit.* Nam; vt ait ipse, Deitas ipsa, natura sua est sui notitia.

Deinde in lib. meditationum, cap. 29. in fine dicit, Deum non videri, sicut est, ab Angelis, & nulli nisi sibi esse notam totam Trinitatem, & in lib. Soliloquiorum, c. 31. inquit, sibi soli integre notam esse totam Trinitatem. Hos tamen libros primum non esse Augustini magis certum est; deinde loquitur plane auctor illorum aut in hoc sensu, vt clare non possit tota Trinitas naturaliter ab aliquo, nisi à se ipsa videri, aut sicut dixit de Genesi ad lit. vt ab alijs non ita perfecte possit videri, sicut à se ipsa: differentiam vero iam assignauimus: sed inde non colligit Augustinus, propterea à beatis Deum non comprehendere, nec de comprehensione aliquid dixit. Ex parte vero rei cognitæ, certissimum est ex disp. 47. cap. 2. nihil omnino essentia diuinæ à beatis non videri.

Hilarius & Cyprianus exponuntur.

19 Mitto testimonium Hilarij in libro de patris, & Filij unitate statim à principio, vbi Deum inuisibilem appellat: & Cyprianus, aut illius lib. auctoris, si alius est, in prologo de cardinalibus operibus Christi, qui etiam incomprehensibilem Deum appellant. Si enim sequentia verba considerentur, plane loquuntur hi Patres de hominibus viatoribus, seu etiam Angelis natura sua solum consideratis.

CAPVT IV.

Quid de comprehensione dei colligi possit ex
Græcis Patribus.

Primum testimonium Chrysostomi, & aliorum Theodor. Epiphani. Cyrillus & Alexandrin.

Postremo afferunt nonnulli plurima Græcorum Patrum testimonia iam diu à nobis allegata, qui primo intuitu videntur docuisse, Deum à Beatis non comprehendere. Primo loco allegant Chrysost. qui pluribus locis dicit, Deum à Beatis quidem videri, sed non exacte, nec perfecte, neque comprehendere: ita habet multis in locis citatis à nobis in disp. 27. cap. 2. Allegant & Theod. in illud Psalmi 103. *Amictus lumine*, Epiph. hæc est 70. Cyrillus Alexandrinum 11. libro Theophrasti, cap. 1. in principio, postre-

mo Cyrillum Hierosolymitanum Catechesi 6. vbi sic ait: *Cyrill. Hierosolym.*
Admonet igitur nos infirmitatis nostre Dominus dicens, *Deum nemo vidit vnquam, quid igitur dicat aliquis, nonne scriptum est, quod angeli paruulorum semper vident faciem patris, qui in celis est? vident sane angeli, sed non ita, vt est? sed secundum quod est, & ipsi capiunt. Ipse enim alius dicit, quod Patrem nemo vidit, nisi qui est de celo, hic vidit Patrem, vident angeli ita, vt capiunt: & archangelita, vt possunt, Throni vero, & Dominationes plus quidem, quam illi, sed minus quam pro Dei benignitate: solus autem Spiritus sanctus, vt oportet videt.*

Verum hæc omnia, non ita manifesta sunt, vt inde Theologus alleueret, esse fidei dogma à Sanctis Patribus traditum, Deum à Beatis aliquo modo comprehendere non posse ipsa clara visione. Nam, vt ostendimus disp. 37. cap. 2. Chrysost. & Theod. in ea plane fuerunt sententia, vt negarent, Deum sicuti est, à Beatis videri posse, vt manifestis argumentis monstrauimus. In eadem sententia diximus fuisse Epiphanius eo loco, & Cyrillus Alexandrinus per Ioan. c. 2. 2. Euthym. Theophyl. Basil. Nyssen. & ex Latinis Hieron. Primasium, Isid. & Ambros. quare eorum sententia nihil omnino refert ad probandum id, quod aduersarij contendunt. Cæterum eo loco nunc allegat Cyrillus nihil aliud contendit, quam Anomæos, qui dicebant, Deum ab ipsis propria sua virtute comprehendere, conuincere: quare nihil asserit de Beatis lumine gloriæ præditis. De Cyrillo Hierosolymitano eandem puto esse rationem, atque de Chrysost. qui Anomæis obijcientibus in hunc modum, *Si incomprehensibilis est diuina substantia, & cur tu de his differis? respondet ipse his verbis: Nunquid igitur, quia totum fluium ebibere nequeo, id quod mihi commodum est, sub mensura non hauriam? &c.* Cui obiectioni respondet Chrysost. hom. 5. de incomprehens. natura dei, eodem fere modo, vt retulimus disp. 40. c. 1. quare ex eadem occasione puto Cyrillum, & Chrysostomum in eadem fuisse sententia.

Secundo loco afferunt Nazianzen. orat. 1. pagina 119. *Secundum testimonium Nazianzen.*
& Elias in illa verba eiusdem orationis. Hoc me inferiori: vbi de Deo inquit Nazianzen. *Quantumque percipitur, tantumdem semper se subducit, amantemque suis ex eo, quod fuit, ac velut iam comprehensus se proripit, ad superna illucit: id ipsum dixerat paulo superius, citari etiam potest orat. 34. quæ est 2. de Theologia, num. 9. & 19. & orat. 36. quæ est 4. num. 66. & orat. 49. quæ est de fide, post medium, vbi docet, Deum comprehendere non posse. Sed plane vterque auctor loquitur de viatoribus, id quod aperte colligitur ex orac. illa 34. num. 19. vbi querens Nazianzenus, quare Deus non concesserit nobis comprehensionem essentia suæ, respondet, tribus de causis, quarum tertia est, *Vt aliquid nobis tam illustre in premium laboris huius vite asseruaretur.* Quod verum non esset, si etiam in alia vita pro meritis ea solum visio concederetur, quæ non esset comprehensio. Ex quo potius iuxta phrasim Nazianzeni dicendum esset, Deum à nobis comprehendere, tantum abesse, vt ex eo oppositum deducatur.*

22 Sed in eadem 34. orat. num. 9. sunt hæc verba *difficilia, & rem tantam, (scilicet deum) animo comprehendere omnino impossibile est, non modo ignauis, & languidis, deorsumque vergentibus, sed magnis etiam, & excelsis viris, vti que amore præditis, ac mortalibus perque omnibus, quibus ad veri cognitionem caligo hæc, & carnis crassities tenebras effundit. Atque haud scio, an hoc quoque sublimioribus illis, & intelligentibus naturis negatum sit: quæ quia Deo propius iuncta sunt, ac toto illo splendore colunt,*

Cyrill. Hierosolym. 20

Chrysost. Theodor.

Epiphani. Cyrill. Alexandrin. Euthym. Theophyl. Basilium. Nyssen. Hieronym. Isidorus. Ambrosius. 21

Cyrillus. Cyrill. Hierosolym. Exponitur.

Secundum testimonium Nazianzen.

22